DISSERTATIO
De
FICTO, SEU QUASI DOMINIO,

Quam

PRÆSIDE

DN. PETRO MÜLLERO, JCto,
Sereniſſimorum Ducum Saxoniæ Conſiliario, Pandectarum Profeſſore Publico, Facultatis Juridicæ, Scabinatus & Curiæ Provincialis Aſſeſſore

IN

Auditorio JCtorum

Ad D. Február.

ventilandam exhibet

AUTOR

JOHANNES SAMUEL Krebs/
JENENSIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ, Literis KREBSIANIS.
ANNO M DC LXXXV.

C. D.

INTROITUS.

INteriores animi motus cognoſcere ſolius Dei, non verò hominis eſt; Hic enim id ſaltem cognoſcit, quod ante pedes eſt, quodque in oculos incurrit, quæ verò latent, conjecturis aliquantulum, non ultra penetrare valet. Hinc eſt, quod multa apprehendantur aliter, ac revera cum iis comparatum eſt. Dicitur autem perſvaſio iſta mentis noſtræ, animique ſententia vel judicium, quo aliquid credimus, *fides*. Quæ conſcientiâ prior eſt, & ex illa hæc quadantenus elicitur, tanquam concluſio practica, fiduciamque præſtat poſſeſſori, ſe rem ab eo accepiſſe, qui alienandi illam poteſtatem habuerit. Ubi facilè accidit, ut quis in ſua decipiatur opinione, poſſideatque rem animo domini, exiſtimans ſe rem à vero Domino, vel rem alienam ex domini voluntate accepiſſe, cùm tamen res ita ſe non habeat, quæ opinio *bona fides* dicitur, de qua JCtus in *l. 109. ff. de V. S.* ita loquitur: *Bonæ fidei emptor eſſe videtur, qui ignoravit eam rem alienam eſſe: aut putavit, eum,*

qui vendidit, jus vendendi habere. Quæ bona fides facit, ut ſi quis rem, animo proprietatem nanciſcendi, ſibi comparaverit, alienans verò dominus non ſit, poſſidens non potuerit quidem plus accipere, quàm ipſe habuit; ſi tamen præter bonam fidem juſtum etiam poſſeſſionis ſuæ titulum habeat, hic quoniam bonæ fidei quodammodo pars dicitur Donell. *lib. 5. Comment. jur. civil. c. 14. in pr.* conſtituitur in facultate uſucapiendi, & fingitur, habere dominium, quod tamen revera non habet, quod expreſſè habetur *in* §. *4. Inſtit. de actionib.* ibi: *inventa eſt à Prætore actio, in qua dicit is, qui poſſeſſionem amiſit, eam rem ſe uſucepiſſe, quam uſu non cepit, & ita vindicat* (fictione quadam, nam jure civili non poteſt directò vindicare, quia fundamentum nempe dominium, deficit) *ſuam eſſe.* Ubi Dn. Fuchſius *in paraphraſ. ad cit.* §. Fundamentum, *inquit*, iſtius actionis, Publicianæ ſcil. eſt præſumtum ſeu *Fictum Dominium*, fundatum in traditione facta, bona fide ac juſto titulo interveniente. Et itidem ſi res uſucapta, hoc eſt, alterius dominio adjecta ſit, eoque modo dominus re ſua exciderit, fingatur adhuc rem tanquam propriam habere §. *5 Inſt. d. act.* ibi: *reſciſſa uſucapione eam petere, id eſt, ita petere, ut dicat poſſeſſorem uſu non cepiſſe, & ob id ſuam rem eſſe.* De quo Dominio ficto, cùm inſignes in jure profectus producat, aliquot pagellis agere lubuit. Quod ut benè vertat, divini numinis aſſiſtentiam devotisſimè invocamus!

CAPUT

CAPUT I

continet

EXPLICATIONEM VOCUM ET DESCRIPTIONEM.

SUMMARIA

Thes. I. *Quid fictum.* II. *Dicitur Quaſi Dominium.* III. *Dominium unde.* IV. *Deſcribitur.* V. *Dividitur.* VI. *Datur fictum Dominium.* VII. *Duplici modo fingitur dominium poſitivè & negativè.*

THESIS I.

F*ictum* à fingendo derivatur, quod verbum metaphoricè idem quod comminiſci ſignificat, quoniam quæ ſimulamus, ita formamus atque componimus, ut vera eſſe videantur, Perottus Epiſcopus Sipontinus, *in ſuo, quod conſcripſit, cornu copiæ, col. 754. l. 46.* & fictum propterea dicitur, non quod poſſidens fingat ſe habere dominium, aut ſimuletur; ſed ex diſpoſitione prætoria pro tali habeatur. §. *4. Inſt. de actionib.*

TH. II.

Dicitur *quaſi* dominium, quæ vocula improprietatis character eſt, denotans aliquid à jure pro tali haberi, ac fingi, etiamſi reipſa & quoad naturam tale non ſit, aut eſſe nequeat *pr. Inſtit. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* Qua formula utuntur Practici in libellis: Daß obgedachter Garten ihm zum wenigſten jure quaſi domi-

nii zuſtändig/D.Schacher. *in Colleg. Practic. ad tit. ff. de public. in rem. action.* Dicitur etiam DD. *præſumtum.*

TH. III.

Dominium alii à domo derivant, quod olim dominium extra domus habitationisque fines ſe non extenderet, Conn. *1. comment. 3. n. 1.* & quaſi qui domui præſit, ejusque imperium obtineat, cum ei omnem familiam parere oporteat, is verè dominus ſit, tanquam domus moderator & imperator *l. 195. l. familiæ ff. de V. S.* alii à verbo δομάω, quod apud Græcos ſignificat ſubjicere, hinc Dominium dicunt, eſſe, cui aliquid ſubjicitur. Gregor. Tholoſan. *ſyntagm. jur. univerſ. lib. 1. cap. 12. num. 1.* Vocatur aliàs jus dominii *l. 5. C. de acqv. vel amitt. poſſeſſ.* Item Dominium proprietatis, ut *in l. 4. C. de probat.*

TH. IV.

Deſcribitur Dominium fictum vel quaſi *quod ſit jus in re corporali, quo res aliena nobis ignorantibus ab aliis non dominis tradita, juſto mediante titulo noſtra propriave eſſe fingitur, cùm tamen reverà non ſit; vel quod amisſum eſt, fingitur illud adhuc apud nos eſſe.* Ubi per jus intelligitur facultas ſeu poteſtas legitima §. *fin. Inſt. de uſufr.* & quidem in re, ad differentiam juris ad rem ſ. obligationis, quæ cum dominio nihil commune habet.

TH. V.

Dividitur quaſi Dominium, in *verum*, cùm pro re aliena absque ſcientia eam talem eſſe, verè eſt ſolutum, vel transactum, & *putativum*, cum non vera ſubeſt cauſa, accedit tamen juſtus error, ut ſi quis erravit in facto proprio, putans ſe ſolviſſe, vel tranſegiſſe, perſuaſus fortaſſe veriſimilibus opinionibus, & hoc poſterius ad uſucapionem non prodeſt, niſi juſtus & probabilis error ſit, vel in

facto alieno juxta *l. 11. pro emt. l. uſucapio ult. §. 1. ff. pro ſuo.* D. Linck. *in us. jurid. Syncategor. Quaſi thes. 22.* Ubi diſtinctionem Althuſii. *lib. 1. Dicæolog. c. 18. n. 50.* quod quaſi dominium ſimile ſit pleno dominio, vel nudæ proprietati, ut prius ſit in b. f. poſſeſſore, poſterius propter jus ſuitatis in filiof. vivente patre & matre, tanquam minus congruam & præter leges excogitatam rejicit.

Th. VI.

Itaque *dari* fictum ſ. quaſi dominium *ex d. §. 4. Inſt. de actionib. & tot. tit. ff. de publician. in rem actione* ſatis pateſcit. Nam ex effectu arguitur cauſa; Cum itaque Prætor concedat actionem, qua quis dominium vindicat, quod tamen revera non habet, & fingat eum (poſſeſſorem) uſucepiſſe, cum tamen non uſuceperit, ſequitur, quod fundamentum & cauſa illius actionis (Publicianæ) ſit fictum aliquod vel quaſi dominium, quod figmentum tamen non eſt formale mendacium, uti contendit Wiſſenbach. *p. 1. diſput. ad ff. 18. th. 22.* Et ſic Prætor cœptam uſucapionem per juris fictionem pro completa habet *d. §. 4. Inſt. de act.* vid. *cap. ſeq.*

Th. VII.

Cœterum duplici modo fingitur dominium vel (1) *poſitivè*, quaſi acquiſitum, quod tamen revera acquiſitum non eſt *d. §. 4. Inſt. de act.* vel (2) *negativè*, quaſi non amiſſum, quod tamen amiſſum eſt, ut in reſciſſoria §. *3. & ſeqq. Inſt. eod.* Hahn *ad tit. de public. in rem act.* Bachov. *diſp. 3. de actionib. th. 15.*

CA-

CAPUT II
complectitur
CAUSAM EFFICIENTEM.

SUMMARIA.

Theſ. I. *Cauſa efficiens ficti dominii in genere eſt eadem, quæ veri dominii, nempe propinqua ſunt modi dominii acquirendi: Qui conſiſtunt de jure gentium in apprehenſione & acceſſione; De jure civili res vel univerſæ vel ſingulæ acquiruntur, & quomodo.* II. *Remota cauſa eſt Prætor, qui fictiones ut plurimum in regnum Romanum introduxit.* III. *Fictâ ſ. quaſi traditione etiam fictum acquiritur dominium. Neque obſtat, quod duæ fictiones regulariter non concurrant.* IV. *Per tranſitum legalem non æquè transfertur fictum dominium.* V. *Juſtà abſentiæ cauſa facit, ut dominium, quod amiſſum eſt, recuperetur.*

THESIS I.

C*Auſa efficiens* ficti dominii in genere eſt eadem, quæ eſt veri dominii, nempe *propinqua* ſunt modi dominium acquirendi; qui vel ſunt de *jure gentium*, vel de *jure civili*. Naturalis quippe ratio ſuaſit olim, ut ſingulis rebus certa & diſtincta conſtituerentur dominia, ut unusquisque ſuum teneret, aliàs enim nulla pax &

tran-

tranquillitas in ſocietate hominum retineri poſſet, ſi permitteretur communio, quæ diſcordiam excitare ſolet *l. cum pater 77.* §.*20. de legat. 2.* Ita modi acquirendi dominium *jure gentium* conſiſtunt vel in *rei apprehenſione*, vel in *ejusdem acceſſione*, Sutholt. *diſſert. 4.* §. *19.* & licet de hisce modis tot ferè ſint opiniones, quot extant Commentaria. Unde Donell. *lib. 4. comment. ibid.* Hillig. *lit. B.* inquit, modos acquirendi dominium & infinitos & confusè proditos eſſe, ut eorum nec numerus, nec ratio conſtet; commodè tamen ad prædictos duos ſummatim referuntur. De jure verò civili, *vel univerſæ*, vel *ſingulæ* res acquiruntur, *vid.* §. *finali Inſtit. per quas perſon. nob. acq.* Univerſarum adipiſcendarum modus eſt Succesſio, quæ vel civilis, vel prætoria ſive bonorum poſſeſſio. Illa vel ex teſtamento, vel ab inteſtato *d.* §. *fin. per quas perſon.* Quò referenda eſt arrogatio, addictio bonorum libertatum conſervandarum cauſa *d.* §. *fin.* Singularum rerũ dominium adquiritur uſucapione & præſcriptione *l. 20. C. de pactis* donatione §. *fin. Inſt. de uſ. & hab.* legato & fideicommiſſo § *fin. Inſt. per quas perſon.* aliisque pluribus vid. *l. 8. C. de rei vindic. l. 14. ff. & l. 30. C. de jur. dot. l. unic. C. Si liberal. Imper. ſocius ſine hered. lib. 10*

TH. II.

Remota cauſa dominium fictum in uſum juris introducens eſt *Prætor*, qui fictionem ut plurimùm in regnum Romanum introduxit, dicente Altesſ. *de fict. jur. tr. 1. c. 3.* Cum enim civili ſeu ſtricto jure nemo habeat aut habere poſſit dominium illudque verum, niſi qui habet ab eo, qui dominium ipſe habuit; utilitatis tamen cauſa fecit finxitque Prætor, ut ille, qui bona fide ab eo qui non eſt dominus, rem habet, tanquam ſuam, habeatur

pro domino, eique commoda, tam quæ in percipiendo, quàm agendo conſiſtunt, proſint. Quæ fictio, quoad rem ipſam non contraria videtur juri gentium ac æquitati naturali; nam eo ipſo, dum putat quis alterum ei tradere animo dominii transferendi alterque ita quoque accipit, plus juris habebit ob ſuam opinionem, quàm alius, qui aliter novit rem ſe ita habere, alteriusque rem eſſe; imò injuriam pateretur, ſi conſiſtens in actu uſucapiendi, amiſſa re, non haberet actionem pro ea recuperanda Hahn. *ad paratitl. Weſenb. ff. de publician, in rem action. n. 2.* vel, ſi jure civili amiſſum ſit dominium, puta uſucapione, æquitati conſonum eſt, ſi cauſam juſtam, v. gr. abſentiam, quis allegare poſſit, ut æſtimetur ac ſi adhuc illud habeat atque ad reſcindendum impedimentum, quod ei ad vindicandum obſtat, agere poſſit.

TH. III.

Et cum de apprehenſione dictum, eam eſſe modum acquirendi dominii; Ea verò ſit rei, quæ vel *nullius*, vel *alicujus* eſt; Et hæc non niſi volente & tradente domino, fiant noſtræ, qui modus *traditio* vulgò dicitur, quæ fit, cum dominus rem ſuam ex juſta cauſa alii eam accipienti, & dominium ejus acquirere volenti, hoc animo promittit, ut in ipſum rei illius hominum transferat §. *40. Inſt. de rer. diviſ. l. 20. ff. de acqv. rer. dom.* Quæ traditio vel *vera* eſt, quâ res corporales de manu in manum transferuntur; res enim incorporales, cùm tactum effugiant, traditionem propriè loquendo non recipiunt, ſed in iis uſus & patientia loco traditionis eſt §. *2. Inſt. de reb. corp. & incorp.* vel *ficta ſ. quaſi*, quâ res, etiamſi naturaliter tradita non ſit, fictione tamen juris pro tradita habetur *l. 1. §. 21. verb. nam pro traditis ff. de acqv. vel am. poſſ.* Quæritur,

Num

Num ficta traditione acquiratur quaſi dominium ? Reſp. Quoniam quaſi traditio eodem modo transfert verum dominium, ſi illud transferens habet, ac vera traditio, quoniam hæc ſub genere alienationis propriè ſic dictæ continetur *arg. l. 67. pr. de V. S.* ibique Wegner. *n. ult.* ſequitur, quod etiam fictum dominium eo modo transferatur, fictio enim idem operatur in caſu ficto, ac veritas in caſu vero *l. 1. ff. de adopt. l. cum ex oratione 44. ff. de excuſ. tut. l. un. in pr. C. de rei uxor. act. l. 1. §. 5. ff. ad SC. Trebell.* Eberh. *in topic. legal. à vi fictionis n. 4. cum ſeqq.* & paria ſunt, eſſe talem, vel haberi pro tali, ſequitur, quod re fictè, longa vel brevi manu id fiat, nil refert, alteri tradita, ubi accipiens non aliter putat tradentem poſſe rem alteri appropriare, conſequatur quaſi dominium, ita ut nec corporali quidem translatione ei, cui prius ita tradidit, auferre queat *arg, l. 15. C. de rei vindic.* Neque prædictis obſtat, quòd regulariter duæ fictiones non concurrant circa idem, *l. 1. & ibi* DD. & Bald. *C. de dot. promiſſ.* procedunt enim hæ, à diverſis principiis, in quibus caſibus fictio ſuper alia fictione non reprobatur, ſeu commodè concurrere poſſunt, vid. la Torre de Cambiis *diſp. 1. quæſt. 4. n. 27.*

TH. IV.

Quamvis per fictam traditionem acquiritur dominium, uti th. præcedenti dictum eſt, non tamen idem ſtatuendum eſſe cenſemus de tranſitu ſeu translatione legali, (quæ eſt modus eadem acquirendi non per poſſeſſionis aut quaſi translationem, apprehenſionem, ſed ſolam legis ita diſponentis poteſtatem, uti eam definit D. Frommann Jctus Tubingenſ. celeberrimus *in diſput. de domin. aliorumque jurium tranſitu legali, h. e. acquiſitione,*

quæ fit ſine poſſesſionis, aut quaſi, translatione, apprehenſione.) Cùm fictum dominium inter alia præſupponat poſſeſſionem, quæ in legali tranſitu deficit; Et generaliter: Ubi deficit uſucapiendi conditio, ibi non eſt quaſi dominium; illa autem ſine poſſeſſione non procedit, *l. 44. §. ult. verſ. cùm prius eſſet ff. de uſurpat.* Quin imò is, qui ita amiſit, in uſucapiendi conditione, per poſſeſſionem, quam retinet, potius conſtituatur ex *c. ult. X. de præſcript. in 6.* dum neſcit an is, qui adquiſivit ita, jure ſuo uti nec nè velit, *junct. c. ſine poſſeſſione de R. J. in 6.* Diſſentit Dn. Hahn *ad Weſenb. de public. in rem act. n. 4.* exiſtimans, quod in hujusmodi modis, quibus dominium ipſo jure citra traditionem acquiritur, detur conſtitui in conditione uſucapiendi. Niſi velimus dicere, eandem æquitatis rationem, quæ eſt in caſu fictæ traditionis, in tranſitu legali militare, ac conſequenter parere quaſi dominium; in quam ſententiam tranſeunt Dn. Struvius, Mœcenas meus ſummè venerãdus *ad ff. de publician. th. 43* & Vinnius *in commentar. ad §. 4. Inſt. de action. n. 2. & 7.* vel quando ſtatuto poſſeſſio translata habetur, quæ propterea *civiliſſima* audit, Dn. Præſes, Patronus meus multis modis æſtumandus *in commentar. ad ff. de R. J. in l. 11.*

TH. V.

Ficti dominii negativè talis (vid. *cap. 1. th. 7.*) Cauſa efficiens eſt diſpoſitio Prætoris, quæ vult, ut dominium, quod reverà amiſſum eſt, pro non amiſſo habeatur *§. 3. 5. Inſt. de act.* ita ut juſta abſentiæ cauſa faciat, ut dominium, quod amiſſum eſt, recuperetur. Nam in rebus conſervandis, amittendisque ſic proviſum eſt præſertim reipublicæ cauſa abſentibus, ut illis res, atque jura, ſarta tecta ſerventur, & damnum in his pasſis, reſtitutio detur *l. 1. pr. t. t. ff. & C. ex quib. cauſ. maj. l. 9. ff. de legat.* Cùjus reſtituti-

ſtitutionis cauſa eſt læſio, & quidem juris *l. 1. §. 1. ex quib. cauſ. maj* non facti *l. ult. C. eod.* quæ contingit, ſi quis jus acquiſitum amiſerit per uſucapionem, præſcriptionem: cujus curſum non ſiſtit impedimentum facti *l. 18. C. de poſtlim. rev.*

CAPUT III

agit

DE SUBJECTO.

SUMMARIA.

Theſ. I. *Subjectum ſunt perſonæ acquirere valentes veram proprietatem; quæ ſunt vel ſui vel alieni juris.* II. *Uxor non in poteſtate parentum, ſed ſui juris & in tutela mariti ſui exiſtens, ſibi acquirit & marito.* III. *Servi & proprietatem & poſſeſſionem ac conſequenter quaſi dominium dominis ſuis acquirunt.* IV. *Non ſufficit voluntas acquirendi in ejusmodi perſonis, niſi etiam adſit bona fides, ſeu ignorantia rei alienæ; quæ duobus temporibus ſpectanda eſt.* V. *Ficti dominii negativè conſiderati ſubjectum eſt is, qui dominium reverà habuit acquiſitum, illud verò amiſit, & de novo quaſi illud acquirere intendit ſeu recuperare.* VI. *Quisquis ſive plenum ſive minus plenum ſive directum ſive utile habet dominium, dominium fictum poteſt habere.*

THESIS I.

Subjectum ſunt perſonæ acquirere valentes veram proprietatem, quæ vel ſunt ſui juris, vel alieni juris; *pr. Inſt. de his qui ſunt ſui vel alien.* hæ ſibi ipſis acquirunt *pr. Inſt. per quas perſon.* niſi ſint procuratores alterius *§. 5. Inſt. eod.* Nam licet, juxta regulam juris, per extraneam perſonam nihil acquiri poſſit *d. §. 5. Inſt.* excipiuntur tamen procurator, tutor, curator, qui poſſeſſionem nobis acquirunt *l. 1. C. per quas perſon.*

TH. II.

Uxorem quod attinet, licet per matrimonium non diſſolvatur patria poteſtas *§. 2. Inſt. de SC. Tertullian.* neque illa jure matrimonii, ex patr. pot. exiret olim, jure tamen in manum conventionis in poteſtate viri incipiebat eſſe; qualis conventio non erat ipſum matrimonium, ſed quædam ejus ſolennitas, habens hunc effectum, de qua Ulpian. *fragm. tit. de his qui in manu ſunt.* Hodie autem cum omnis ſublata ſit in manum conventio, quæ jam Tiberii tempore omitti cœpit, teſte Tacito *4. Annal. 6.* uxor libera eſt & materfamilias, unde etiam ſibi acquirit, niſi quòd in dubio præſumatur ex re mariti acquiſiviſſe *l. Q. Mutius 51. ff. de donat. inter vir. & ux. l. 6. Cod. eod.* de Jure Saxonico eſt in tutela mariti Landℜ. *lib. 1. art. 31.* Moribus obtinuit, ut quæ per induſtriam, vel ex liberalitate aut alio honeſto modo quæſita, exceptâ ſucceſſione, communicentur inter conjuges pro partibus in cujusvis civitatis ſtatutis expreſſis vid. *Colleg. Argent. ad tit. unde vir & ux. th. ult. itemque ad tit. pro Socio th. 5.* De filiisfam. juxta diverſa peculiorum genera dicendum eſt, ipſos patribus ſuis acquirere vel veram proprietatem, vel quaſi, vel ſervitutem, vid. *tot. tit. & §. 1. Inſt. per quas perſon.*

TH. III.

Et cùm dicatur de *ſervis*, quod vi dominicæ poteſtatis, omnia dominis ſuis acquirant, nec quicquam ſuum habere poſſint *l. acquiruntur 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom. §. item vobis 3. Inſt. per quas perſon.* Sequitur, quicquid ex quacunque cauſa id fiat, non tantùm dominium, ſed etiam poſſeſſionem, & per conſequens fictum ſ. quaſi dominium, ut & uſucapionem & longi temporis præſcriptionem, dominis acquirant, etiam ignorantibus & invitis; exceptâ hereditate, quam ſervus nō niſi juſſus domini præcedat, adire nequit *d. §. item vobis & d. l. acquiruntur §. igitur 1. l. 25. §. juſſum ff. de acqv. hered.*

TH. IV.

Non autem ſufficit in ejusmodi perſonis voluntas & intentio acquirendi, ſed inprimis *ignorantia rei alienæ acquirendæ,* quam JCti *bonam fidem* vocant, penes ipſos ſit neceſſe eſt. Iſtam bonam fidem deſcribit Schneidevv. *ad tit. Inſtit. de uſucap. n. 14.* quod ſit illæſa & ſincera conſcientia, excuſans poſſeſſorem de ignorantiâ rei alienæ; ſicuti mala fides dicitur ſcientia, vel notitia rei alienæ, *l. 109. ff. d. V. S. c. ſi virgo 34. qv. 2.* ubi dicitur bonæ fidei poſſeſſorem eſſe tamdiu, quamdiu ſe alienum poſſidere ignorat add. Suthold. *diſſ. 6. Inſt. aphor. 22.* & ſufficit bonam fidem adfuiſſe duobus temporibus ſc. emptionis & traditionis *l. 7. §. fin. ff. de publ. in rem act.* Hunn. *diſp. ad Inſt. 19. th. 14.* Neque officit, ſi mala fides ſuperveniat, niſi res reali afficiatur vitio, aut maculetur *l. 44. §. 2. ff. de uſucap.* Quidnam de jure Canonico, quo hodie in puncto uſucapionis utimur, & quod bona fides quocunque tempore, donec res uſucapta, etiam usque ad ultimum momentum, requiratur, docet *c. fin. X. de præſcript. c. 2. de R. J. in 6.* Num

verò

verò propter malam fidem ſupervenientem actio, quæ ex ficto dominio reſultat, de jure canonico hodie ſit ſublata, vid. *infra in cap. de effectu V.*

Th. V.

Ficti Dominii negativè conſiderati ſubjectum eſt is, qui dominium revera acquiſitum habuit, illud verò amiſit, quod duplici modo accidere poteſt; vel, quando abſens rem præſentis, vel, quando præſens rem abſentis uſucepit, *l. 21. pr. ff. ex quib. cauſ. maj.* Ita tamen, ut priori caſu nihil interſit, utrum ex cauſa neceſſaria, an voluntaria quis abſit; quoniam præſens æquè caret facultate conveniendi eum, qui ſua voluntate, atque qui reip. cauſa abeſt: poſteriori verò caſu non aliter abſenti ſuccurratur, quàm ſi ex juſta & probabili aliqua cauſa abfuerit *l. 4. l. 36. l. 42. ff. ex quib. cauſ. maj.* Ludvvell. *in comment. ad Inſt. §. 5. de actionib.*

Th. VI.

Cæterùm nil intereſt, quis dominium plenum, ſive minus plenum, directum num utile habeat, eo ipſo quoq; fictum dominiũ habere poteſt; Ponamus enim quempiam, rem feudalem à quopiam tanquam Vaſallo accepiſſe, cùm tamen revera talis non fuerit; vel ſi rem emphyteuticariam ab eo, qui ſe dominium utile habere jactat, bona fide acceperit; vel ſuperficiario jure ſe rectè uſurum exiſtimet, qvum tamen concedens facultatem concedendi non habuerit, tamdiu fictum ſuo modo habet dominium, donec is, qui ſuperius dominium habet, vindicaturus acceſſerit. Quanquam Vaſallus in jure feudali ſenſu paululùm diverſo vocetur *quaſi dominus, tanquam dominus*, quales particulæ improprietatem ſapiunt vid. Lauterb. *in reſol. 15. ff. qui ſatisdar. cogunt. c. 4. §. 7.*

CAPUT

CAPUT IV
exponit
OBJECTUM.

SUMMARIA.

Th. I. *Dominii ficti objectum conſtituunt eædem res, quæ veri dominii, ſcil. Res corporales.* II. *Quæ ſunt, vel mobiles, vel immobiles.* III. *Immobiles ſunt varii generis, uti & mobiles.* IV. *Modò ſint in commercio,*

THESIS I.

OBjectum ſ. *materiam circa quam* dominii ficti conſtituunt *res corporales,* quæ cerni oculis & manu tangi poſſunt, ſ. quæ ſub tactum oculosque recidunt *t. t. Inſt. de reb. corpor. & incorporal. l. 1. §. 1 ff. de rer. diviſ.* videat omnino Dn. Præſes *in Jurisprudent. Elementar. diſp. 5. th. 7.* Res enim incorporales impropriè & analogicè ac dominii latè accepti tantùm objectum eſſe poſſunt *l. 56. ff. de rei vindic.* Et ſunt tria inprimis corpora; *Sejuncta* v. g. grex, acervus frumenti &c. *Continua* v. g. Stichus, lignum, lapis, poculum &c. *Compoſita* v. g. navis, domus, armarium &c. *l. 24. §. item quæcunque ff. de rei vindic. l. 30. ff. de uſurp. & uſucap.* Quæ diviſio, teſte Plutarcho, à Stoicis ſumta, ad jus noſtrum deducta eſt *l. 3. §. 1. ff. de rei vindic.*

TH. II.

Res corporales itidem ſunt vel *mobiles* vel *immobiles.* Illæ intelliguntur omnia ea corpora; quæ loco circumſcribuntur, & de loco in locum moveri poſſunt, ſæpius ci-

tatus Dn. Præſes *in Juriſpr, Elementar. c. I. th. 8.* Hæ ſunt, quæ de loco in locum non ſunt aptæ transferri, quarum aliæ ſunt *naturaliter*, aliæ *operâ & induſtriâ* hominum tales. Dn. Præſes *c. l.*

Th. III.

Res immobiles apud Jctos varii ſunt generis; Aliæ enim ſunt *naturaliter* immobiles; aliæ *adhibitâ operâ & induſtriâ hominũ* tales effectæ; aliæ ratione *acceſſionis*, aliæ *deſtinatione* immobilibus accenſentur; aliæ res, ſuâ naturâ quidem mobiles, *lege* tamen *vel facto hominis* aſcribuntur immobilibus, de quibus omnibus vide latiùs explicantem D. Præſidem *in Juriſprudent. Elementar. diſput. 15. th 7.* Qui etiam ibidem. Res mobiles quot variis modis tales ſint, pluribus docet. Res incorporales objectum quaſi dominii alii conſtituunt, v.g. Servitutes prædiorum urbanorum & ruſticorum *l. 11. §. 1. ff. de public. in rem.* quæ tamen non niſi per conſequentiam, & inhæſivè hujus dominii objectum eſſe videntur.

Th. IV.

Res iſtæ corporales *in commercio* ſint neceſſe eſt; quæ enim res commercio hominum ſunt exemtæ, uti ſunt res ſacræ, religioſæ & ſanctæ §. *7. 8. 9. 10. Inſt. de rer. diviſ.* res univerſitatis, quæ nullius privati eſſe poſſunt §. *6. Inſt. eod.* & res jure gentium publicæ §. *2. Inſt. eod.* ficti dominii objectum eſſe nequeunt.

CAPUT V

agit

DE FORMA ET EFFECTU.

Sum-

SUMMARIA.

Th. I. *Forma dependet à fine, & conſiſtit in opinione vel errore.* II. *Differt à vero dominio.* III. *Effectus conſiſtit in acquiſitione dominii, vel in perceptione fructuum, vel in legitima perſecutione.* IV. *B. F. poſſeſſor percipit omnes fructus tam naturales quàm induſtriales.* V. *Legitima perſecutio conſiſtit in actione prætoria publiciana dicta. Cui detur. Q. Num detur actio publiciana vero domino? Num mala fide ſupervenienti etiam de jure Canonico detur publiciana? Contra quos detur publiciana.* VI. *Dominii negativè ficti effectus quinam ſit.* VII. *Quando concurrit utrumq; fictum dominium & affirmativè & negativè tale, quisnam horum effectus.*

THESIS I.

FOrma dominii ficti poſititivè talis dependet *à fine*, ſc. quod in opinione res corporalis ita approprietur ei, qui ſibi acquiſivit, ut habeat ſibi & opinetur non aliter, quàm quod ejus verè propria ſit, vel quando in jure erret, & quod jus ſit in re, corpus ſive ſubſtantiam ita afficiens intrinſecè, ut res non ſit mihi obligata, ſed jure dominii putativi ita qualificata dicatur, ut eam à quovis poſſeſſore, excepto domino, vel in negativè ficto etiam contra hunc citra perſonæ intermediæ præſtationem vel obligationem vindicare ac perſequi valeat.

TH. II

Differt autem fictum ſ. quaſi dominium *à vero*, quop

hoc in rei veritate conſiſtat, habensque rem habeat ab illo, qui transferre jus dominii potuit; vel ſi quis putat ſe adhuc habere dominium, cùm tamen non habeat, & petat ſe dominũ declarari, hoc verò in opinione conſiſtat, neq; tale ſit, quod ab illo, qui jus dominii habuit, proficiſcitur, ſed lex ſ. prætor propter bonam fidem fingat, poſſeſſorem eſſe dominum, vel eum, qui fuit dominus, dominium adhuc habere: Differt hoc quaſi dominium à cæteris juribus in re, ut principalis & excellentior omnium ſpecies, quæ etiam interdum omnia cætera in re jura ſub ſe virtualiter comprehendit; Ita ut fictum habens dominium idem jus in alium vel univerſaliter, vel ſingulariter transferre queat, *l. 18. de acquir poſſeſſ.* §. *41. Inſt. de rer. div* adeò ut bonæ fidei poſſeſſor de culpa, quâ ante litem cum domino conteſtatam rei hereditariæ damnum accidit, rationem reddere non debeat, quia quaſi ſuam rem neglexit, & re ſua abuti putat *l. ſi quid poſſeſſ. 31.* §. *1. de petit. heredit.*

Th. III.

Effectus conſiſtit vel *in acquiſitione veri dominii*, vel *in perceptione fructuum*, vel *in juſta & legitima perſeqvutione.* Quod acquiſitionem attinet, ex diutina poſſeſſione cum bona fide conjuncta, per tempus lege definitum, in re non vitioſa bonæ fidei poſſeſſor, tandem fit verus dominus, vidd. *titt. ff. C. & Inſtit. de uſucap. & præſcript.* Ratione fructuum percipiendorum bonæ fidei poſſeſſor, tanquam fictum dominium habens, eodem modo acquirit ſibi fructus, ac dominus verus jure veri dominii, nam talis quoad fructuum perceptionem fictione juris credendus eſt §. *namque 4. Inſt. de action. l. bona fides 136. & ſeq. ibique* Dn. Præſes *ff. de R. Jur.* ſeu, in percipiendis fructibus merus bonæ fidei poſſeſſor idem juris habet, quod dominis prædiorum tributum eſt *l. qui ſit 25.* §. *1. ff. de uſur.*

Rein-

Reinking. *de jure retract. quæſt. 8. concluſ. 1. n. 30 & ſeqq.* & ſic fructus tanquam acceſſiones cauſam dominii principalem ſeqvuntur *l. ex diverſo 35. §. ubi autem 1. ff. de rei vindic.* nec aliter, niſi jure dominii acquiruntur *l. qui ſcit 25. §. 1. ff. de uſur.* Carpzov. *lib. 1. reſponſ. Elector. tit. 8. reſp. 79. n. 1. & 2.* Neque refert, ipſe vel alius ejus nomine perceperit §. *ſi quis Inſt. de rer. diviſ. l. ſed & loci 4. §. poſt litem 2. ff. fin. reg* nam quod quis per alium facit, id ipſe facere videtur *l. qua ratione 9. §. nihil 4. ff. de acq. rer. dom.*

Th. IV.

Percipit fructus b. f. poſſeſſor ſ. quaſi dominus, jure quaſi ſ. ficti dominii non ſolum induſtriales, ſed etiam naturales *l. 45. ff. de uſur. l. 40. l. 48. ff. de acqv. rer. domin. l. 4. §. 19. ff. de uſucap* Beſold. *p. 3. conſ. 108. n. 62.* Sive locupletior factus fuerit, nec ne, nihil intereſt Fachin. *lib. 1. controv 58.* Idque in praxi obſervari teſtantur Buſius *ad l. 29. ff. de petit. heredit. n. 5* Arius Pinell. *part. 2. ad l. 2. C. de reſcind vendit.* Sandæus *deciſ. Friſicar. lib. 3. tit. 15. def. 1.* Et ita facit fructus poſt conſumtionem irrevocabiliter ſuos, ut nunquam eorum nomine à ſuperveniente domino & vindicante inquietari poſſit; *l. 4. § 2. ff. fin. reg.* Fachin. *1. controv. 57.* Perceptione enim fructus interim, ſed conſumtione abſolutè poſſeſſoris ſunt. Cujac. *in tract. 7. ad African. in explic. l. 40. ff. de acqv. rer. dom.* Neque refert, an poſſeſſor ab initio exiſtat bonæ fidei, vel ex poſt facto talis efficiatur Menoch. *de recuper. poſt rem 15. n. 592.* Nam in b. f. poſſeſſore, quoad fructus acquirendos, eosque ſuos faciendos, ſingula temporum momenta ſunt ſpectanda *l. qui bona 23. §. 1. l. 48 §. 1. de acqv. rer. dom.*

Th. V.

Legitimam perſecutionem in judicio quod attinet, parit hoc fictum ſ. quaſi dominium actionem quandam

prætoriam, quæ *publiciana in rem actio* dicitur, de quâ eſt § 4. *Inſt. de actionib. & tot. tit. ff de public. in rem. act.* ita dicta à Prætore Publicio, qui fuit prætor Urbanus cum Marco Junio, uti tradit ex Cicerone pro Cluentio D. Sithmannus *nucl. pand. paratitl. tit. de publ. in rem act.* Quæ actio deſcribi ſolet, quod ſit actio in rem prætoria, quâ is, qui à non domino bona fide & juſto titulo rem accepit, indeque potius jus habet, adverſus quemlibet, jure infirmiori poſſidentem agit, intenditque rem, nondum uſucaptam, perinde ac ſi uſucepiſſet, ſuam eſſe, ſibique eam reſtituendam *d. §. 4. Inſt. de act. l. 1. ff. de publ. in rem act.* prælaudatus D. Struv. *ſynt. jur. civ. diſp. 11. th. 39.* Daturque ei, qui jus ex bona fide & juſto titulo à non domino, in re aliqua habet acquiſitum §. 4. *Inſt. de action.* Q. *Num detur domino vero?* Affirm. Non quidem ut domino, ſed uti bon. f. poſſeſſori, ad effugiendam dominii probationem, quæ difficillima eſt, Dd *in l. 12. C. de probat.* Q. *Num detur ei, cui pendente uſucapiendi facultate mala fides ſupervenit, inprimis jure Canonico?* Reſpond. Affirmando. Nam planè alia eſt ratio uſucapionis & hujus actionis, publicianæ ſcil. Nam in *cap. ult. X. de præſcript.* conſtitutum eſt, ut toto tempore uſucapionis bona fides requiratur, ideo, ne domino vero damnum inferatur, quæ ratio in publiciana ceſſat, cùm contra dominum non detur, ſed ei competat, qui plus juris in re habet, quàm poſſeſſor reus conventus D. Struv. *d. exerc. 11. th 46.* Schneidevv. *ad §. 4. Inſt. de action. n. 56.* Quæ ſententia in praxi recepta eſt, Gail. *lib. 1. obſ. 62. c. 4.* D. Struv. *exerc. 11. th. 44.* & plerumque ſolet cumulari cum rei vindicatione vid. Eckolt. *ad tit. de publician. in rem act.* Contra eum datur, qui mala fide tenet, & nullo jure D. Struv. *d. l.* vel qui jus novius habet ab eodem non domino Id. D. Struv. *d. l.* Qui à fure rem habet, ignoran-

te etiam emtore per *l.9.* §. *pen. de publ. in rem act.* Qui titulum habet procuratum, ut ſi quis metuens, publicianam, cures dicis cauſa rem ſibi ab amico aliquo vendi Bachov: *de action. diſp.3.th.21.* Qui liti ſe obtulit aut dolo deſiit poſſidere *arg. l.7.* §. *8. de public. in rem.* Qui pro herede poſſidet D. Struve *d. exerc. 11.th.49.* Non tamen contra Dominum datur *l. pen. & ult. d.t.* Datur etiam contra donatarium Harprecht *ad d.* §. *4. Inſt. de act. n. 22.* datur etiam contra heredem, qui legatum aut fideicommiſſum debet exſolvere *arg. l.7.* §. *3. ff. de publ. in rem.* Formulam publicianæ actionis vide apud D. Schvvendendörffer. *tr. de actionibus cap. 2. membr. 7.* & Schacher. *in Colleg. practic. ad tit. de publ. in rem. act.*

TH. VI.

Dominii negativè ficti effectus eſt, quod pariat actionem reſciſſoriam, quæ eſt realis prætoria competens ad rem verè uſucaptam, tanquam nō uſucaptam à poſſeſſore avocandam §. *3. & 5. Inſt. de actionibus.* Daturque ei, qui rei dominium verum per uſucapionem amiſit, *d.* §. *5. Inſt. de actionib.* contra eum, qui rem ex abſentiæ cauſa uſucepit, dominiumque conſeqvutus eſt *d.* §. *5. Inſt. de act.* Formulam vid. ap. Schvvendendörffer. *tr. de actionib. cap. 2 membr. 8.*

TH. VII.

Effectus utriusque hujus dominii inter alios eſt, quod ſi b. f. poſſeſſor, hoc eſt, qui fictum dominium affirmativè dictum habet, concurrat cum eo, qui negativè illud habet, ratione fructuum percipiendorum præferatur domino reſcindenti, idque propter bonam fidem; Nihilque aliud pro commodo habet hic, quàm ut ad ordinariam actionem ſ. rei vindicationem perveniat prætoria, quam aliàs non haberet. Quòd ſi verò rem uſucaptam habens *litem fuerit conteſtatus*, tunc ad reſti-

tutio-

cutionem fructuum tenetur; nam quemadmodum in rei vindicatione per litis conteſtationem bonæ fidei poſſeſſor fit malæ fidei poſſeſſor, ſic etiam in reſciſſoria qua petitur rem cum fructibus & omni intereſſe reſtitui. Unde reſciſſoria vocatur *rei vindicatio qualificata* Manzius *ad* §. *5. Inſt. de action.*

CAPUT VI. & Ultimum
agit
DE CONTRARIIS.

SUMMARIA.

Theſ. I. *Contraria ſunt verum dominium.* II. *Mala fides tam quæ ab initio eſt, quàm quæ ſupervenit.* III. *Delictum quaſi domini.*

THESIS I.

Contraria ſunt *verum Dominium*, quando quis jus illud, ſeu facultatem moralem habet vel ab eo, qui veram habuit proprietatem; vel per *uſucapionem ſ. præſcriptionem*, quæ juri naturæ non contrariatur, *l. 1. ff de uſucap. l. fin. ff. pro ſuo.* vel per *reſciſcionem* impedimenti, quod ipſi obſtabat, quid ſuum non habere poſſet §. *5. Inſt. de act.*

TH. II.

Mala fides tam ab initio quæ eſt, quàm quæ ſupervenit, ad hunc effectum, quod excludat acquiſitionem dominii, non verò actionem prætoriam, vid. *cap. præced. th. 5.*

TH. III.

Delictum quaſi domini, ratione ſuæ perſonæ, cùm ſcil. res ad alium pervenit, & poſſeſſionem rei ſuæ, Magiſtratu non requiſito, violenter ingreditur, ſicuti dominium verus dominus amittit *l. 7. C. unde vi.*

Tantum!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE